6
3-a
38

6
31 E
23

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

45.3.29.
13 13
a a
39 29



Digitized by Google

Digitized by Google

ΑΜΜΩΝΙΟΥ

Περὶ Ὁμοίων καὶ Διαφόρων λέξεων.

AMMONIUS

De adfinium vocabulorum Differentia.

ACCEDUNT

OPUSCULA NONDUM EDITA,

ERANIUS PHILO *de Differentia Significationis.*
LESBONAX *de Figuris Grammaticis.*
INCERTI SCRIPTORES *de Soloecismo & Barbarismo.*
LEXICON *de Spiritibus Dictionum, ex operibus* TRYPHONIS, CHOEROBOSCI, THEODORITI, ETC. *selectum.*





Ammonium, ope MS. Primae Editionis Aldinae, & aliunde, emaculavit & notis illustravit, Reliqua ex Codd. MSS. BIBLIOTHECAE LUGDUNO-BATAVAE nunc primum vulgavit

LUDOVICUS CASPARUS VALCKENAER.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOHANNEM LUZAC.
cIↃ IↃ CC XXXIX.

ILLUSTRISSIMIS

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORIBUS,

D. JOANNI HENRICO COMITI WASSENARIO,

DOMINO WASSENARIAE, OPDAMI, HENSBROEKAE, SPIERDYKI, ZUIDWYKI, KERNHEMI, LAGAE, ETC. ETC. ETC. EQUITI ORDINIS JOHANNITICI. EQUESTRIS HOLLANDIAE ORDINIS MEMBRO SPLENDIDISSIMO. EJUSDEMQUE PROVINCIAE NOMINE CELSIS AC PRAEPOTENTIBUS BELGII FOEDERATI ORDINIBUS ADSCRIPTO. ETC. ETC. ETC.

D. AËTIO VANDER DUSSEN, BRUNONIS F. J. C.

CIVITATIS DELPHENSIS SENATORI. VIRO CONSULARI. SOCIETATIS INDIARUM ORIENTALIUM MODERATORI. ETC. ETC. ETC.

D. JOANNI VAN DE POLL, J. C.

CIVITATIS AMSTELAEDAMENSIS CUM MAXIME CONSULI ETC. ETC. ETC.

EORUMQUE COLLEGIS,

AMPLISSIMIS, GRAVISSIMIS,

CIVITATIS

LUGDUNO-BATAVAE

CONSULIBUS,

D. PETRO GYS, J. C.
ETC. ETC. ETC.

D. GERHARDO AEMILIO
VAN HOOGEVEEN, J. C.
ETC. ETC. ETC.

D. DIDERICO DE RAET, J. C.
ETC. ETC. ETC.

D. PETRO VAN HOOGMADE,
ETC. ETC. ETC.

NEC NON

VIRO SPECTATISSIMO,

D. DAVIDI VAN ROYEN,
REIPUBLICAE LUGDUNENSI A SECRETIS, ET
ILLUSTRI CURATORUM CONSULUMQUE
COLLEGIO AB ACTIS.

DEDICATIO.

Poſteaquam bonarum artium culturam per aliquot annos in Academia Patria fueram proſequutus, in Batavam, quam Vos, VIRI ILLUSTRISSIMI, cum maxime moderamini florentiſſimam, ante biennium deveni, eo tantum propoſito, ut Praeſentem colerem & obſervarem, cujus Abſentis admirator eſſe a Praeceptoribus meis didiceram, & in celebri Magni Viri Alberti Schultenſi ſchola nobilem viam ſectarer, & pulcra Eruditorum hominum conſenſione probatam, qua, cum ad reliquas ſcientias felicius, tum ad Sacrae Scripturae intellectum rite atque decenter penetrari poſſet.

Id autem Literarum genus, quocum paulo familiarius conſueveram, cupidinem animo injecit non illiberalem, veteres membranas contrectandi, quarum ingens copia, necdum etiam pro meritis vulgo cognita, in Lugdunenſi Bibliotheca recondita cuſtoditur.

Metus, quem rei desiderium incusserat, Vestra Auctoritate omnis fuit ademptus, & verecunde roganti Thesaurus librarius mox totus patuit. Itaque ego sitim, qua flagrabam incredibili, levare laboravi; occasionem, liberali manu oblatam, laetus occupavi, & brevi elapsuram oppressi. Nihil habui, quod me a dulci librorum Vestrorum contubernio avocare adeo potuerit.

E multis ut unum nominem, quo nihil olim erat divinius, Homeri scriptum Codicem, egregio Excellentis hominis, Porphyrii, commentario illustratum, sedula manu versaviſſe juvat. Ad hujus bonitatem quoties me converto, mirari subit, ne unum extitisse, qui praestantissimum laborem, araneoso situ squalidum, edaci tempori eripere studuerit.

Hujus, & aliorum operum, quae necdum sunt in lucem emissa, usurpandorum, Vos mihi fuistis Auctores, VIRI PERILLUSTRES, tanti adeoque beneficii, quo, mea opinione, majus illi obtingere non potest, qui ad quantulamcunque eruditionis partem adquirendam viam adfectat.

Vestram erga me voluntatem, sanequam prolixam, saepenumero mecum reputans, quo gratum animum testificarer, nihil reperiebam, praeter eam viam, qua Principibus Viris nosmet commendare solemus. Majora quidem mente agitavi, uti consuevimus fere, primulum literarum limen ingressi; postea Ammo-

ni-

nium idoneum credidi, in quo tenues ingenii vires periclitarer. Res ſic ſatis ex voto cecidit.

Itaque Ammonium Vobis, VIRI NOBILISSIMI, venerabundus dico atque dedico, cui ſi quid hujus opera acceſſerit ornamenti, id omne Batava Bibliotheca ſuppeditavit, atque adeo Veſtrum eſt. Grammaticus is quidem eſt, ſed prae ceteris eruditus, cujus exiguus labor plurima recondit, quae homines, in Veterum ſcriptis quantumvis excercitati, penitus ignorarent, ſi non Ammonius, faſtidioſae librariorum ignaviae ſubductus, ad noſtra uſque tempora permanſiſſet. Is tandem eſt Ammonius, quem aeterna Veſtrae Academiae lumina, Scaliger & Salmaſius, ſua laude non indignum cenſuerint. Et qua parte illis fuit, Vobis item erit acceptiſſimus. Quotus enim quiſque ex Vobis eſt, VIRI ILLUSTRISSIMI, cui non ſit exploratum, Romanarum legum originem Athenis eſſe repetendam; quique non id omne gratus excipiat, quidquid ad laceras Romani Juris reliquias componendas & illuſtrandas olim fuit ex Attici fori conſuetudine comportatum, & hodiedum ab iis adferri ſolet, qui in Veſtra Sacra caſte pedem intulerunt. Inter eos, qui ad hanc rem conducunt, primum ſibi locum vindicat Ammonius, vel eam ob rationem dignus, qui in Honorificam clientelam ſuſcipiatur, & ſub Illuſtrium Nominum ſplendore in vulgus prodeat.

Quos

DEDICATIO.

Quos propter materiae adfinitatem Ammonio comites adjunxi, Eraniùs Philo, Lesbonax, & reliqui, nunquam in lucem editi, ubi ad Vos redeunt, priſtinum ſibi locum recuperant.

Plura & meliora, Veſtra Liberalitate conceſſa, ſepoſui, aliquando proferenda, ſi Optimum Maximum Numen coeptis meis faverit, & per Parentis indulgentiam ingenio obſequi porro licuerit.

Interea parvus labor Vobis gratus ſit, & ſi qui poſtea, Aliorum & meo exemplo moniti, Leidenſium Codicum uſum deſiderent, ita, obſecro, cogitatote, GENEROSI VIRTUTIS ET ERUDITIONIS CUSTODES, has opes tum demum celebrari, quum, Veſtra Auctoritate in aperta luce poſitae, ſtudioſorum hominum commodis inſerviunt. Id unum ſubmiſſe peto,

ILLUSTRISSIMORUM NOMINUM
VESTRORUM

Dabam Lugduni Batav.
III Idus Octobreis.
CIↃ IↃ CC XXXIX.

Cultor perpetuus

L. C. VALCKENAER.

LECTORI BENEVOLO

S. D.

LUD. CASP. VALCKENAER.

Ammonii, qui ornatior in publicum prodit, libellus, indigno loco, neque ullo ſuo merito pene abjectus, in hunc uſque diem delituerat.

Accidit inopinanti, quum adverſaria Iſaäci Voſſii verſabam, quae Lugduni ſunt Batavorum, ut varias etiam in Ammonium lectiones offenderem e ſcripto Codice cum cura enotatas. Tum primum Ammonii cognoſcendi invaſit me cupido. Ubi animum huc converti, protinus non vulgares libelli dotes perſpicere occoepi, & Praeſtantiſſimi Auctoris ſortem leviter dolui, qui eum foedis maculis, quas plerorumque errorum, qui Veterum ſcriptis inſident, procreatrix, inconſulta correctorum temeritas, ſeu Veterum librariorum inſcitia invexerant, deturpatus etiamnum jaceret, graviſſimam quoque ab Henrico Stephano injuriam perpeſſus, dum alii meliuscule habebant, & finitimae materiae Scriptor, ad hujus bonitatem nulla ratione comparandus, Phrynichus commodam Doctorum hominum manum dudum fuerat expertus. Neque nupera haec mea erat querela; ante hos centum & ſeptuaginta circiter annos ad hunc modum ſcriptum eſt a Paulo Leopardo in libro X. Emendat. c. VI. *Extat de differentiis vocum libellus, quem quidam Ammonio tribuunt. —— Sed dolendum eſt eum tot in locis mendoſum eſſe.* quin etiam *in multis eſſe illum prodigioſe mendoſum*, adſeruit

XI. Emendat. c. xv. Leopardi admonitio adeo quidem neminem commovit, ut operam ſuam publice Ammonio commodare quiſquam voluerit. Doctorum hominum labores in Ammonio etiam poſiti, ſed privatis fere uſibus deſtinati, ad noſtram memoriam non pervenerunt, niſi quod Henricus Valeſius ad Harpocrationem ſuas in Ammonium notas uno in loco commemorat. De Ammonio edendo hoc potiſſimum ſeculo cogitaverunt Vir Celeberrimus Carolus Andreas Dukerus, & Ornatiſſimus Emmanuel Martinus. In hujus vita, praeter cetera Martini opera MSS. §. 174. Ammonii noſtri verſionem notis & commentariis illuſtratam recenſuit Gregorius Majanſius De Dukeri conſilio certior factus ex Miſcell. Obſerv. Vol. V. p. 31. poſtea ab aliis percepi, priorem iſtam cogitationem penitus abjeciſſe Cl. Dukerum, & gravioribus curis invigilare. Itaque ego pulcrum eſſe exiſtimabam, rem in medio omnium poſitam mihi vindicare, & in Ammonio emaculando, iſtius artis, quae pulcerrima judicatur, periculum facere. Non eram MSS. copia inſtructus, ſine quorum adjumento, quae Veterum ſcriptis admovetur medicina, in multis periculoſa cenſetur: verum tamen ea erant ad manum ſubſidia, quae Scriptorum Codicum vices in Ammonio emendando ſuſtinere poſſe viderentur. Horum auxilio magnam mendarum partem ſuſtuli; & in Ammonio pluſculos menſes ſubſtiti. Sub hujus anni initium eo proceſſeram, ut opellae meae ſpecimen typis deſcribi curarem: deſcriptum ad illos miſi, qui in his literis Primarii, & me benevolentia videbantur proſequuti. Hi omnes ex voto reſponderunt, atque, credo, ut ingenuam cupiditatem foverent adjutarentque, etiam perbenigne. Clariſſimum Dukerum ſuper hoc meo propoſito verecunde compellavi. Ex iis, quae ad literas meas perhumaniter Vir Eruditiſſimus reſpondit, ea demum cum bona Ipſius venia hic deponam, quae ad hunc locum maxime pertinere queant. En itaque Cl. Dukeri verba: „ Anni ſunt „ non multo minus XXX. quum cogitans me ſtudioſis lin-

„ guae

„ guae Graecae rem non ingratam facturum, ſi Phryni-
„ chum, Ammonium, Erotianum, Thomam Mag. &
„ Moſchopulum uno volumine, quo mihi concludi poſſe
„ tum videbantur, ederem, unum alterumque menſem
„ Ammonio impenſi & in chartam conjeci, quae ad eum
„ illuſtrandum uſui futura credebam. Ad Thomam jam
„ ante ſparſim quaedam adnotaveram; ad Phrynichum
„ autem non multa poſt Nunneſii diligentiam animadver-
„ tenda ſupereſſe, & in Erotiano ac Moſchopulo levi ope-
„ ra defungendum eſſe arbitrabar. Sed quo minus tum
„ hoc conſilium exſequerer, alia ex aliis impedimenta, &
„ non proviſae occupationes interceſſerunt. Deinde,
„ quum, poſtquam Trajectum veneram, cognoviſſem Sal-
„ lierium & Sevinum paratos conſcriptoſque in Phryni-
„ chum & Thomam commentarios habere, quorum in-
„ ſpiciendorum copiam mihi ante aliquot annos fecit Bi-
„ bliopola Hagienſis P. de Hondt, meque vana ſpe pro-
„ miſſae collationis Codd. MSS. Herennii Philonis, qui
„ in Biblioth. Reg. Pariſ. ſunt, duci viderem, totum con-
„ ſilium & Ammonii, & ceterorum, quos dixi, edendo-
„ rum abjeci. Ex his intelligis, quam me non invito —
„ manum Ammonio admoveas, &, quod a me pro dere-
„ licto habitum eſt, occupes ac Tibi vindices. Quin po-
„ tius Te hortor, ut, quo coepiſti pede, pergas, ac de omni-
„ bus, quibus ſtudium literarum Graecarum cordi eſt, uti-
„ liſſimo libello illuſtrando bene merearis. Specimen utra-
„ rumque Animadverſionum tuarum valde placet", &c. &c.

Sub hoc Tanto Judice facile tutus, opuſculum, varia licet valetudine jactatus, tandem tamen peregi. Nunc in eum locum deveni, quo in libelli noſtri Auctorem, Scopum, atque Utilitatem foret inquirendum; ſed materiem copioſam, & a me pro viribus tractandam, tum demum explicare decrevi, quando prius ſuper hujus in Ammonio adornando opera candidum Lectorem monuero.

Ammonium recudi curavi ſecundum literarum ſeriem

diſpoſitum, qualem nobis tradidit Aldus Manutius, quem hac in parte reliqui Editores ſunt ſequuti. Par eſt, ut credamus, ea ratione extitiſſe Ammonium, in ſcripto, quem Aldus uſurpavit, codice: neque etiam aliter hunc libellum legit Moſchopulus; nam in vocum Atticarum, quam confecit, Sylloge, alibi parce Ammonium deſcribit, ex litera autem K. plurimas Amm. obſervationes propoſuit. Eo haec a me dicuntur, quod perſuaſus ſum, Ammonium Lexicon conſcripſiſſe, quod vocant ἀτακτον, &, quas tradit, verborum differentias in certas potius claſſes diſparaſſe, neque ullam habuiſſe ordinis literarum rationem. Primum, quoniam is ordo Veterum repugnat conſuetudini; deinde, libelli naturae. Adde, quod eadem frequenter recurrant, quae manifeſto recentioris curam produnt, qui lectoris, ut putabat, commoditati ſervire voluerit. Clariſſimum denique hujus rei argumentum ex Animadverſionum noſtrarum II. c. x. peti poterit. Dedi itaque operam, ne errorem, quem corrigere non potui, propagarem. Scilicet ita eſt ſecundum literas concinnatus Ammonius, ut binarum priorum tantum habita videatur cura, reliquarum, nulla. Hunc ordinem non migravi. Friſicam, quam vocat, Blancardi in Harpocr. diſponendo diligentiam, ſanequam inutilem (& in Gloſſariis antiquis periculo non vacuam) ſatis vituperavit Vir Clariſſ. Jacobus Gronovius. In Thoma autem Mag. hac in parte adeo etiam ſe exercuit Blancardus, ut, quod expertus dico, verecundiae, quam aliorum ſcriptis debemus, modum adhibuerit nullum. Phrynichum, quem primus Editor literarum quoque ſeriei adligaverat, hac parte meliorem, ſcripto libro adjutus, ἀτακτον nobis reſtituit Nunneſius: eamque ſcribendi methodum, quoad primas vocum literas indigeſtam, hujuſce moduli Scriptores adeo frequentaverunt, ut ne Ptolemaeus quidem, qui dicitur Aſcalonita, ab ea ſeſe abſtinuerit.

Deinde Verſionem Ammonio non adjeci. Ob vulnera, quae Ammonio inflixerunt, nihil ego in librarios Veteres gra-

gravius dicendum cenſuerim; primum quoniam Auctorum loca deſcribere non faſtidiverunt, deinde, quia errorum, quos commiſerunt, incredibili multitudine illos omnes deterruerunt, qui olim in hujuſcemodi etiam libris Latine vertendis obſcuram operam collocarunt. Saepius animo obverſatur calidum hominis venuſtiſſimi, Mureti dictum, ſed in hanc rem oppido oportunum ex Var. Lect. III. c. xv. *Convertunt, aut invertunt potius & pervertunt omnia, — Grammaticos, etiam ea, quae naturam, ut verti poſſint, non habent.* Ex uno Scaligero peti poteſt aliquid pro talibus verſionibus praeſidii, nam Phrynichi verſionem ſubinde corrigere non eſt aſpernatus, & Nunneſium interpretem vocat doctum & accuratum. Quare Emmanueli Martino nihil detraho, qui, pro ſingulari in utraque lingua peritia, unus forte par fuit Ammonio Latine interpretando, quod tamen rite fieri vix poſſe contendo. Martini verſionem Majanſius, ut ſuperius dixi, commemorat; nuſpiam ſuis in epiſtolis Martinus, aut, qui amici opera bene multa enumerat, Caeſar Laurentius Bulipho. Quod autem praeclarum optimi Hiſpani ingenium in exiguae frugis verſionibus & Euſtathii & Ammonii conficiendis elaborare potuerit, ſola ſine dubio fecit librorum penuria, iſtic locorum maxima, ubi ſuperſtitio & ſacerdotum fraudes regnum obtinent. Ego de verſione Ammonii adornanda nunquam cogitavi, eam potiſſimum ob rationem, quam Juvenis Mauſſacus protulit, & pleriſque approbavit, quamque, ut leviſſime dicam, inprudenter ab Harpocrationis verſore omiſſam reprehendit Gronovius. Quibus abſque verſione ad Grammaticos aditus non patet, hos volo rogatos, ut manus ſuas libello noſtro non admoveant. Si quis porro hic criminari velit, ſive rei difficultatem (quam talium etiam verſionum oſoribus objectat Jo. Alb. Fabricius Biblioth. Gr. L. IV. c. xxxvi. §. 12.) a me pulcre obtectam, ſeu quomodocunque demum ſolus hac in re multum diſputare, per me equidem licet, ut ingenio ſuo non adverſetur.

Quid itaque praeſtiterim ſcire ſi deſideres, haec habeto. Inter Editiones Ammonii, quae plurimae circumferuntur, illa ſuo merito cenſetur optima, quam Theſauri Graeci Appendici inſeruit H. Stephanus, ab hac editione non diſceſſit Bonav. Vulcanius. Stephani editionem recentavi. In notis id mihi fuit propoſitum, ut hujus Editionis, quam vulgatam voco, mendoſas lectiones detegerem & emacularem. Subſidia, quibus eum in finem uſus ſum, haec fuerunt. Primum Doctorum conjecturae; Deinde collatio MS. & variarum Editionum; Tandem Grammatici, qui Ammonii notas deſcripſerunt. Sine adminiculis etiam fuit conjectandum.

Inter Virorum doctorum conjecturas, quarum offendes in notis memoriam, cum bonitate ſua, tum Auctoris nomine elucent Scaligeranae. Eas debes exemplo Theſauri Vulcanii, quod ex Voſſiana Bibliotheca in Batavam delatum nobis inſerviit. Non quidem Scaligeri verum Iſ. Voſſ. nomen is liber praefert, e quo Scaligeri notas deprompſi. Literarum tractum Scaligero proprium probe calleo; itaque emendationes ab hujus manu profectas agnovi; ad Scaligerum proinde eas referre penitus non dubitavi. Vulcanii caſtigationes editas ſuis locis fere memoravi, integras notas adjicere commodum non erat. Aliorum autem, qui ſparſim ſuis in operibus, occaſione invitante, Ammonio operam dederunt, emendationes, quas quidem cognitas habuerim, univerſas huc retuli. Verum hac in parte ſine dubio pernimium deficit.

Deinde ex Variis in Amm. lectionibus, quas e MS. adverſariis inſeruerat Iſ. Voſſius, ſuis etiam emendationibus interpoſitis, multum profeci. Etiam leviores, & nulli forte uſui futuras, omnes produxi. Utinam moleſtum laborem peregiſſet Vir Clariſſimus! qui ad vocem Ἐμπνεία ab incoepto deſtitit.

Prima Ammonii Editio ab Aldo procurata pro meritis ſatis a me laudari non poteſt. Ab hac editione poſtea opera-

rarum negligentia, & mala correctorum ſedulitate, in plurimis fuit receſſum: id enim ſcriptorum Codd. auctoritate factum non fuiſſe, clariſſimum in modum mihi adparuit. Poſt Aldum nunquam ad ſcriptum librum Ammonius a quoquam Editorum fuit collatus. Stephanus, cujus nos hic editionem ſequimur, unus omnium Editorum ab Aldina receſſit quam longiſſime. Is Homeri & Aliorum Scriptorum loca, quae minus plene adferri videbantur, ſuo periculo ex editis ſupplevit & correxit, malo inſtituto, ſed fatis tum vulgato. Ne tamen ob leve peccatum debita laude careret Stephanus, Veterum Editionum lectionem in notis advocavi. Per Vett. Edd. non omnes intelligo, quae Stephani Editione ſunt anteriores, ſed Venetas tantum, quarum prima, Dictionario Graeco-Lat. & Cyrilli opellae ſubjecta, Aldi opera prodiit anno 1497. Altera, anno 1524. cum Phrynicho, Thom. M. & Moſchop. junctis Aldi & Andreae Aſulani operis. Hanc Editionem, ubi a prima diſſidet, Secundam voco: interim non ignoro, habita temporis ratione, ſecundam Venetam praeceſſiſſe Lexici Graeco-Lat. atque adeo Ammonii Editionem Pariſinam anni 1521. quam Fabricius memorat, &, quam vidi, eleganti typorum forma nitidam Valentini Curionis, Baſileae anno 1522. vulgatam. Ego Primae Editionis atque adeo Secundae etiam Venetae rationem habui, hinc ſcripturae varietates ſedulus exhibui. Plures quidem Editiones contuli, e quibus ubi inſigniores ſcriptionis differentias adnotavi, ſingulas nominatim diſcerno. Sunt autem hae: Baſileënſis Valentini Curionis anni 1525. quam mihi ſuppeditavit Cl. Jo. Alberti. Pariſinae, ann. 1530. & 1552. quarum illa operarum vitiis inquinatiſſima, haec multo melior, (quam fere expreſſit Stephanus) Lexico Gr. Lat. ſubjacet a Jacobo Tuſano locupletato. Omnium Editionum, (ſi primam excipias) ante Stephanum optima, fuit a Joanne Frellonio Lugduni anno 1553. vulgata, quam nimis ſero, ubi ad literam I jam erat perventum, mihi comparavi. In hac editione non pauca legebantur emen-

emendate, quae in reliquis omnibus vitioſe; niſi quod Baſileënſis anni 1554. ab hac latum unguem vix diſcedat. Ita autem in Frelloniana editione multa erant emaculata, ut non difficulter adpareret, viri eſſe haud indocti conjecturas. Utrum harum Auctor Frellonius ſit, an alius, latet.

Poſt Aldinam Editionem Principem, inſignem operam in Ammonio emendando praeſtitit Thomas Mag. hunc deſcripſiſſe Ammonium, plus ſemel monuit ad Pollucem Cl. Hemſterhuiſius, & ad Poll. VIII. 38. n. 54. *plura*, inquit, *ſunt apud Ammonium ex quibus Thomam, apud Thomam ex quibus Ammonium emendes: qui utrumque conferre non dedignabitur, mutuam ſibi in vices opem praeſtare reperiet.* Thomae Mag. ſucceſſit Ptolemaeus Aſcalonita, e cujus Schedis, quas e Gudiana Biblioth. acceperat, non pauca Bibliothecae Graecae inſeruit Cl. Fabricius L. IV. c. XXXIII. §. 5. eo conſilio, ut hinc Ammonio aliquando medela fieret. Optimo viro morem geſſi. Praeter Thomam, & Ptolemaeum, varias Ammonii obſervationes deſcripſerunt Eranius noſter Philo, & Cyrillus in Lexico inedito inprimis bono, (cujus uſurpandi copia mihi fuit ex Bibliotheca Leidenſi.) Praeterea ad Homerum longe frequentiſſime Euſtathius, parcius Moſchopulus, & Phavorinus Camers. Dubito, ſi ad hanc claſſem referre debeam Etymologum. Ex Thoma M. Ammoniana non pauca derivavit Scholiaſtes Luciani. His omnibus antiquior Schol. Ariſtophanis uno in loco, poſtea nobis uſui futuro, diſertam Ammonii mentionem injecit.

Plus nimio forte verboſus eam alicui cogitationem injeci, nunc tandem Ammonium, ſerio caſtigatum, & omnibus mendis liberum, in lucem emitti. Sed multum fallitur, qui id in animum ſuum inducit. Quae MS. aut Prima Editio meliora ſuppeditabant, ea in textum, (quem vocamus) recepi, & vulgatae lectionis, quam in notis propono, loco poſui. Eadem etiam cedere debuit Virorum Doctorum conjecturis, ſi verae videbantur, ſive illae ad Am-

Ammonii verba pertinerent, ſeu ad Veterum fragmenta. Metricarum legum indecora ignoratio me non deterruit, quin Menandreas Bentlei emendationes in Ammonium introducerem. Haec tantum ſunt, e quibus melior fieri potuerit Noſter. Meas, quas dico, emendationes, quas conjectandi calor & aliorum Grammaticorum collatio ſubminiſtrarunt, etiamſi veras, Ammonio non reſtitui. Formidoloſam tamen hanc agendi rationem adeo non probo, ut nulla etiam ſit animi mei ingenio magis contraria. Verum pravae quorundam conſuetudini nunc quidem obſecundandum credidi, & in hanc partem peccare adoleſcentior malui.

Plurima remanſerunt in Ammonio etiamnum Eruditioris manus indiga, talia quinimo, quae mendoſa eſſe ne ſuſpicatus fuerim; idque nuper admodum egregio documento didici ex Emendationibus Henrici Valeſii, quo pulcerrimo incremento Criticam noſtram ſupellectilem ditare voluit, qui Majorum Suorum famam digne tuetur, Petrus Burmannus Fr. F.

Praeter conjecturas, locorum ab Ammonio citatorum indicia, & aliorum Grammaticorum cum noſtro conſenſum, nihil eſt, quod in notis mihi propoſuerim. Ad ſeveram cotem univerſa Grammatici placita exigere neque volui neque potui. Qui ad eum modum minores Grammaticos tractandos ſibi ſumſerit, quo in Luciani Soloeciſta verſatus eſt Jo. Georg. Graevius V. C. nae is literis operam navaret commodam & utilem.

Quando itaque in notis brevis eſſe volui, & nihilo ſecius lectionis qualiſcunque ſpecimen edere, conſcribere coepi Animadverſiones; ſi quis eas Digreſſiones vocare mavelit, ſive Diſſertationes, equidem recte eſt. In his Ammonii loca ſelegi, quae emacularem, & copioſius etiam illuſtrarem. Aliorum errores caute & modeſte detego. Non pauca ex MSS. Codicibus Bibliothecae Lugduno-Batavae inedita produco. Emendationes proferendi, quas in aliis Scriptoribus detexiſſe mihi videbar, occaſionem, oblatam occupa-

vi, ſaepe etiam quaeſivi. Id alii item fecerunt. Vereor autem, ne interdum in rebus protritis nimius fuerim. Errores ſine dubio multos commiſi, & in locis Veterum ſollicitandis forte maximos. Nonnullas conjecturas, quae primo ſcribendi inpetu adblandiebantur, repetita meditatio rejecit & reprobavit. Eas revocare tanti non videbatur. Qui alios reprehenderim, ut viciſſim corrigar, aequo animo, uti par eſt, feram. Cenſurae candidae & eruditae ſemper videbuntur amabiles; reliquas, etiamſi ab illis proficiſcantur, qui quorundam opinione cenſentur nobiles, deſpicere didici. In iis, quae ab aliis forte ante nos fuerunt occupata, nolo quiſquam cogitet, quod me ſit indignum.

Nunc de iis opuſculis, quae Ammonio ſubjeci, quam potero breviſſime dicam. Typis ea, quod ſciam, antea nondum erant deſcripta. Ad priora notulas etiam congeſſi. Hinc peti velim, unde Eranii Philonis Excerpta, & Lesbonactis libellum hauſerim; quorum illa exigui momenti, & unam ob rationem non indigna quae Ammonio accederent. Multo melior Lesbonax, qui eruditulus talia tradit, quorum antea vel nulla vel ſaltim perexigua habebatur cognitio. Edere illum voluit Leo Allatius, monente Fabricio, Biblioth. Graecae L. IV. c. xxx. §. 14. & L. V. c. VII. p. 45. & 46. Salmaſius, qui eundem, quem nos tractavimus, libellum uſurpavit, De Helleniſt. p. 148. *Tractatum*, inquit, *ipſum Lesbonactis aliquando fortaſſe in lucem edet Eruditiſſimus & praeſtantiſſimus Iſaacius Voſſius, ſummo viro digniſſimus filius, qui ex Florentina Bibliotheca deſcriptum nuper ad me eum ſubmiſit.* Quod ad initium Eranii a me poſitum eſt, a Pariſino Codice deſcriptum Lesbonactem, etiamnum vero videtur ſimilius.

Lesbonactem excipiunt capita de Soloeciſmo & Barbariſmo. quae in Adverſariis etiam Iſ. Voſſii legebantur, ex Praeſtanti Codice a Voſſio deſcripta. Is liber (namque id praetermitti non poteſt) continebat Dionyſii Thracis artem Gramm. & in eam commentarios ſive Scholia Diomedis, Stephani, Porphyrii, & incerti ſcriptoris librum, qui

deſi-

definitionibus fere Grammaticis conſtabat. Subjiciam nunc, quod his capitibus adſcripſerat Iſ. Voſſius. „ Capita de Soloe-„ ciſmo & Barbariſmo, quae in MS. dehinc" (id eſt incerti auctoris operi ſubjecta) „ ſequebantur an ejuſdem an vero „ alius ſint auctoris adfirmare non poſſum. Ut ut ſit, ſunt „ utiliſſima: Quamvis Homerum & alios aliquoties Barba-„ riſmi & Soloeciſmi perperam accuſet." Non injuria itaque mireris, priorum capitum auctorem, quamvis dubitanter, Diomeden vocari a Voſſio ad Catull. p. 226. poſteriorum vero, Stephanum Grammaticum Byzantium, ad Melam p. 201. Priora, ut in notis monui, Du Cangii indicio potius ad Herodianum referri queunt; etſi, quae hanc ſuſpicionem movent, deſint in libro Voſſiano apographo, quem in iſtis capitibus, ubi materia περὶ πλάτους tractatur, unum ducem habuimus, dum priora vulgamus paulo meliora ex binis Codd. MSS. Batavis, quorum prior antiquiſſimus inter Voſſianos Gr. in 4. N°. 76. poſt Dionyſii Thracis Grammaticam, & incerti auctoris tractatum de metris, haec etiam capita complectebatur. Alter Cod. B. idem ille eſt, qui Lexicon de ſpiritibus dictionum nobis ſuppeditavit. Sola autem ſcriptionis finitima materies me permovit, ut Lesbonacti haec etiam adjungerem. De utilitate cum Voſſio idem ſentio. Et ne cui forte videar eorum probare temeritatem, quos in lucem emitto, quid de hac Grammaticorum agendi ratione ſentiam, dicere non dubitabo. Soloeciſmi, quos vocant Grammatici, rariores ſunt ſermonis veneres, potiſſimum in hujus illiuſve Dialecti ſinu reconditae; harum elegantiarum rationem iſtis hominibus non conſtitiſſe mihi quidem pulcrum videtur. Grammatici ſcilicet, ea in arte, quam ſolam didicerunt non ad ſimplicem Veterum Scriptorum uſum conſtructam & caſtigatam, ſed tortuoſis tricis difficilem, & vanorum hominum deliramentis inquinatam, ſtulte ſuperbi, invocati ſententiam dicunt, bonos Scriptores ſevere vituperare non formidant, & illa loquendi genera, ad quorum nativam pulcritudinem & mi-

rificam excellentiam humiles animi non abſurgunt, Soloeciſmos eſſe, inſulſe clamitant. Hanc arrogantiam in luce collocavit atque egregie repreſſit, quem vanae Grammaticorum irae non territabant, Sextus Empiricus. Ipſius dictis nonnulla adjeci, quia haec Grammaticorum conſuetudo per equidem mihi ſemper viſa fuit ridicula, & eam ob rationem caſtiganda, quod his ſuis commentis efficiunt, ut elegantioris ingenii homines Grammaticorum ſtudium in univerſum contemnant & irrideant. Hoc temere fit & inconſiderate: nam, quae ſcripſi, non uſque eo in Grammaticorum contumeliam accipi velim. Pleraque omnis Veterum rerum cognitio Grammaticis continetur; ſed, dum bona in iis laudamus, & inprimis probamus, a Soloeciſmis tantum Scriptores antiquos vindicamus, & ipſorum etiam commenta non ultimi ridemus.

Tandem acceſſit Lexicon περὶ πνευμάτων e Cod. Voſſ., inter Gr. MSS. in 4. viceſimo, qui aetatem fert annorum circiter 400. a me deſcriptum. In variorum libellorum farragine, quae ſubjacet Lex. Graeco-Lat. Valentini Curionis, Baſileae 1525. edito, extat etiam tractatus περὶ πνευμάτων, qui videri poſſit ex ſimili libro excerptus. Quod Cl. Fabricius inter opuſcula, quae Theſauri Stephani conſtituunt appendicem, Biblioth. Gr. Vol. VII. p. 36. libellum περὶ πνευμάτων recenſeat, error eſt. Sunt in noſtro libello multae voces, quas Gloſſas vocamus; plurima, quae Graecae Linguae ſtudioſis uſui eſſe queant, & quae ſemel legiſſe neque Doctos poeniteat. Scripti Codicis, quem titulus ad varia exemplaria collatum & emendatum pollicetur, lectionem nitidis typis exhibere contentus, voces mendoſas ſubinde † virgula diſtinxi; rationem non vidi, cur hunc etiam notis onerarem.

Ad alteram Praefationis partem, quae Ammonium propius ſpectat, perveni. Hic primum eam quaeſtionem pono, utrum libelli Auctor ſit Ammonius, nec ne? poſtquam, quae huc ſpectent, pertractavero, libelli argumentum inda-

dagabo, & de inſcriptione dicam atque Auctoris propoſito: Tandem libelli dotes in luce collocabo, & adverſus Henrici Stephani criminationes vindicare enitar.

Ex quo Aldus Manutius libellum noſtrum ſub Ammonii nomine in lucem edidit, vulgari quidem opinione Ammonius Auctor fuit habitus; ſed non multo poſt ſuper hac re a nonnullis dubitari coeptum eſt. Vel enim incertum auctorem eſſe crediderunt, vel Philoponum: utramque ſententiam tetigit Henr. Stephanus in Praefat. ad Comment. de Atticae Dial. Idiomatis. Suſpicionem de Philopono injecit etiam Andreas Schottus ad Cornelii Nepotis Datamen c. VIII. Verum tandem opuſculi conſcripti laudem Ammonio pene dubiam fecerunt, qui de Herennio Philone cogitant. Haec ſententia veritatis ſimilitudine commendabilis Magnorum nominum auctoritate nititur. Paulus Leopardus, quod quidem ego noverim, primus, in libris Emendationum monuit, Auctorem libelli de verborum differentiis a quibuſdam Herennium Philonem vocari, veluti libri I. cap. 24. IX. 19. X. 6. XIII. 14. horum opinionem ſatis fortiter tuetur Leopardus libri XI. capite XV. ubi ita ſcribit: *Bonus imprimis eſt author Herennius Philo, quem vulgus Ammonium vocat.* Qui hanc rem tanquam exploratam ſine dubitatione poſuerit, neminem novi praeter Menagium, cujus ſententiam commemorant Baylius in Lexico, & Fabricius in Bibliotheca Graeca. Reliqui enim, qui ab Herennio Philone non plane abhorruerunt, rem dubitanter poſitam fere in medio relinquunt. Horum nomina, quae, dum haec ſcribo, plurima obverſantur, ſatis pudenter proferri non poſſe autumo; neque tam auctores, quam argumenta, quibus nituntur, quaerenda ſunt. Euſtathius, quem in ſententiae ſuae patrocinium praeter Leopardum unus & item alter advocaverunt, me in dubitationis ſocietatem pertraxerat. Sed libelli editor, & aliorum judicio non nimium tribuens, explorandum putavi; utrum ratione niteretur noſtra illa haeſitatio, nec ne.

Quae ſuper hac re cogitavi, ita coarctabo, ut nemini ſim moleſtus. Primum tanquam dubio vacuum pono, eundem hunc libellum verſaviſſe Euſtathium, & indidem plurima in commentarios ad Homerum retuliſſe. Verborum, quae tradit, diſcrimina ita plerumque proponit, ut ſatis indicet, ab aliis fuiſſe obſervata, his ad eam rem uſus loquendi formulis: Κατὰ τ παλαιὰν. Διαφέρειν φασί. Φασὶν οἱ παλαιοί Σημειοῦν) οἱ παλαιοί. Διαφέρει πρὸς τοὺς παλαιούς. Interdum tamen eos nominat, quorum fide utitur Noſter. Quae de aetatum nominibus ex Alexionis Epitome Miſcellaneorum Didymi adnotavit Ammonius, ſub Alexionis teſtimonio producit Euſtathius. Apud eundem, fide Commentatoris Bacchylidae, leguntur, quae ſub nomine Didymi apud noſtrum. Qui verborum differentias data opera exſequuti fuerint, Philoponum ἐν τῷ περὶ λέξεων διαφόρως τονουμένων, & Herennium Philonem ἐν τῷ περὶ διαφόρων σημαινομένων memorat Euſtathius, &, quae ex Herennio promit, eadem eſſe videntur cum illis quae apud Ammonium proſtant; ut adeo non leve ſit univerſum Ammonii librum ad Auctorem Herennium referendi argumentum. Prius tamen, quam prave judicetur, eas obſervationes conſiderari velim, quas Herennio acceptas refert Euſtathius. Illae omnino quatuor adnotantur, in quibus declaratur, quo differant Αἶνος & Παροιμία. Ἀρμώδειν & Ὀρμώδειν. Ἀσφόδελος & Ἀσφοδελός. Ἀχὴ & Ἄχθος. Ad primam differentiam vocum αἴνου & παροιμίας Euſtathius (loca alibi indicata ut hic repetam, neceſſe non eſt) eadem habet, quae Ammonius, Archilochi, Heſiodi, & Callimachi loca, Lucilium etiam citat Tarrhaeum, univerſa autem ſe accepiſſe teſtatur ab Herennio Philone, ſubjungens: καὶ οὕτω μὲν καὶ τοῦτο καίεσθω μὲν οὕτω ῥητῶς ἐν τοῖς Ἑρεννίου Φίλωνος. Itane vero? Age fuerit Herennio vetuſtior Lucilius; hunc deſcripſerit Herennius; licuitne idem Ammonio? Ita opinor. Quid? non ſententiam Herennianae obſervationis, ſed ipſa Herennii verba ῥητῶς nobis tradidit Euſtathius: Ῥητῶς δὲ πρὸς τ παλαιὰν εἰπεῖν, (Αἶνός ἐστι) λόγος μυθικὸς

θηκὲς ἐκφερόμενος ὅτι ἀλόγων ζώων ἢ φυτῶν ὡς ἀνθρώπων παραίνεσιν Quaero nunc, utrum ea in Ammonio legantur; an ad verbum cum illis conveniant, quae ex Eranii Philonis Schedis pag. 162. vulgavimus? Secunda obſervatio de verbis Ἀρρωδεῖν & Ὀρρωδεῖν iiſdem pene verbis apud Euſtathium ſub nomine Herennii & in Ammonii libello proſtat. Sed ponamus, ante Ammonium extitiſſe hujuſce moduli opus ab Herennio confectum; an non ea in nota innuit Ammonius, vetuſtiorum ſe ad eam rem declarandam verbis uti? οὕτως γδ, inquit, ἐξηγοῦνται τὸ λέξιν. Quod porro ad firmandam vocum ἀσφοδέλου & ἀσφοδελοῦ differentiam ambitioſe Herennium Philonem ἐν τῷ περὶ διαφόρων σημαινομένων advocet Euſtathius, uti & ad voces ἀσπὶς & ἄσπον, admirabile videri poſſit atque ridiculum. In re pervulgata, & a multis ante Euſtathium tradita, adeone alterius laudem ſibi tribuere formidavit Theſſalonicae Archiepiſcopus, ut ſancte Herennium nominet? Crederemus, ſi eandem ubique diligentiam adhibuiſſet. Ita igitur ſtatuo, Euſtathium legiſſe eundem, quem habemus, Ammonii libellum, & ſimile etiam opuſculum ſub nomine Herennii Philonis, non Veteris iſtius, Grammatici Byblii, ſed Ammonio longe recentioris, qui multa Ammonio ſublegerit, & clarum nomen ſuae opellae praefigere voluerit. Huic ſuſpicioni fidem faciunt, quae Ammonio eum in finem ſubjecimus, Eranii Philonis Excerpta. De eo addubito, utrum hunc libellum pleniorem legerit Euſtathius, an plerumque Ammonium non nominatum deſcripſerit. Poſterius adeo inſolens in Euſtathio exiſtimari non debet, qui multos, quorum nomina celavit, ad verbum transſcripſiſſe a nonnullis fuerit deprehenſus. Thomas etiam Magiſter non exiguam Ammonii partem in libellum ſuum recepit, non ſolum autem Ammonii nominatim non meminit, ſed & uno in loco, ut ne quidquam noſtro debere videretur, Pollucis teſtimonium uſurpavit. Ex illis, quae diſputata ſunt, conſtare arbitror, nihil eſſe cauſae, quapropter Herennium Philonem

nem libelli noſtri auctorem eſſe crederemus, quem Ammonio conſtanter tribuunt MSS. Codices, qui in Regiis Bibliothecis, Pariſiis & in Anglia adſervantur. Vid. Montfauconii, Viri Venerabilis, Bibliotheca Biblioth. MSS. nova, p. 632. & 685. Ex Codice Pariſino decerptas eſſe puto, quas Voſſii labore habuimus, varias lectiones. Anglicanos verſaverunt Th. Galeus, & Jo. Pearſonus; illum vide ad inſcriptionem Palaephati, hunc in Vindiciis Epiſtol. Ignat. P. II. p. 151. quem locum indicavit Fabricius. Scriptum Ammonii librum uſurpavit Caſaubonus, cujus hunc fuiſſe indicem, Ἀμμωνίου περὶ ὁμοίων καὶ διαφόρων λέξεων, ſcribit Wolfius in Caſaubonianis pag. 14. In Codice Regis Galliae huic opuſculo aliud περὶ ἀκυρολογίας ſubjungi, poſt Labbaeum admonuit Fabricius: quod quin genuinum ſit Ammonii opus, minime dubitabit, qui ejus notas in Ἀτελές. Βίος. Γενέθλια. &c. relegerit, & totam ſcribendi rationem habuerit perſpectam. Is Ammonii tractatus alteram veluti hujus opuſculi partem conſtituit. Libri argumentum ex Nonio etiam Marcello cognoſci poteſt; nam is capiti *De differentiis verborum* illud ſubjecit, quo tractat *De Impropriis*, περὶ Ἀκυρολογίας.

Tandem, quod ſupra incoepi dicere, Antiquiſſimus Ariſtophanis Scholiaſta ex noſtro libello unam obſervationem attigit, ejuſdemque auctorem vocat Ammonium, ad Eccleſiaz. v. 607. Verba Scholiaſtae adſcribam: Μείρακα δ' ἐνταῦθα δοκεῖ ἀρτιγενῶς εἰρῆσθαι, καίτοι Ἀμμωνίου λέγοντος, Μειράκιον καὶ Μείρακα ταύτην διαφέρειν, ὅτι τὸ μὲν Μειράκιον ἐπὶ ἀρσενικοῦ· τὸ δὲ Μείραξ ἐπὶ θηλυκοῦ. Quae univerſa omnem ita tollunt dubitationem, ut ne ſcrupulus amplius reſideat. Per autem velim, ut in poſterum praeſtantiſſimus libellus, quem idonei judices Herennio non indignum judicaverunt, Ammonio Auctori tribuatur.

Si itaque Auctor noſter dicendus ſit Ammonius, quod omnino ſtatuendum cenſeo, Quaeri poteſt, quis tandem ſit iſte Ammonius, & quo potiſſimum tempore floruerit.

E multis, quibus id nomen fuit commune, tres tantummodo in cenſum venire poſſunt; de duobus fuit a Doctis hominibus cogitatum, quorum alter Philoſophus fuit, Grammaticus alter. Eorum ſententiam, qui Ammonium Hermeae F. noſtrum eſſe voluerint, memorat Baylius. Joannes Jonſius De Scriptor. Hiſt. Philoſ. L. III. c xviii. *eum*, inquit, *aliquando auctorem credidi libelli de vocum Graecarum differentia*. Idem ſenſiſſe videtur elegantis vir ingenii, Emmanuel Martinus, aut, ſi ita mavelis, hujus vitae ſcriptor Majanſius. Quod vero Codici MS. Anglicano Ammonii Hermeae nomen praeponatur, librariis acceptum referri debet, quibus Philoſophi non incelebris nomen uſu frequentiori magis erat contritum. Quando itaque Jonſius idoneam rationem, qua prior iſta ſuſpicio niteretur, non protulit, (nam leve Eruditiſſimi viri argumentum repulit Fabricius;) in ea refutanda, nobis non erit laborandum. Ammonii Hermeae, qui in Porphyrium & Ariſtotelem ſuperſunt, commentarios excutiens nihil offendi, quo vel probabilis ea ſententia reddi poſſet. Longe verior videtur Jo. Alb. Fabricii ſententia, viri inter Primos Inſignis, cujus verba ex Biblioth. Graec. L. IV. c. xxvi. p. 173. ſubjiciam: *Ammonius Grammaticus, cujus & Helladii itidem auditorem fuiſſe ſe--- teſtatur Socrates Hiſt. Eccleſ Scriptor* V. 16. *narratque Alexandria eos profugiſſe, in gravi illo tumultu qui accidit A. C.* 389. *ob everſa Theodoſii Imp. juſſu Ethnicorum templa. Extat hujus, ut ſuſpicor, Ammonii* περὶ ὁμοίων καὶ διαφόρων λέξεων *liber* &c. Quae iſto in capite de Ammonio Grammatico prodit Socrates, memoratu forent digniſſima, ſi non multa, & potiora, nobis agenda ſupereſſent. Quare tantum notari velim, quod Valeſio, ubi de vita & ſcriptis Socratis diſſerit, fuit animadverſum, Socratem admodum adoleſcentulum ſenioribus Helladio & Ammonio Grammaticae uſum fuiſſe doctoribus Conſtantinopoli, quo homines antiquae religionis tenaces, popelli Alexandrini ludibrio irritati, ſeſe contulerant. Nihil autem adeo impedit,

quo-

quominus huic Ammonio Seculo IV. & ſub initium Seculi quinti claro, homini a Chriſtianis ſacris alieno, libellum noſtrum adſcribendum crederemus. Nam quod noſtro in libello citentur verba e Lucae Evangelio, eam ſententiam non labefactat, uti in Animadv. I c. xx. fuit oſtenſum. Deinde eam nonnihil adjuvat Helladius, quem Lexicon multis voluminibus condidiſſe, ex Photio docuit Mauſſacus in Diſſertatione Critica. Videri autem poſſet Helladii librum inuſitata operis moles oppreſſiſſe, dum exiguus collegae Ammonii libellus ad noſtram uſque memoriam remanſerit.

Quae quamvis ita ſe habeant, tamen rationes non celabo, etſi forte alicui leves videri poſſint, quae me in eam induxerunt ſententiam, Ammonium noſtrum non quidem eum eſſe, quem ante Auguſti Imperium Ariſtarchi Scholam Alexandriae moderatum fuiſſe teſtatur Suidas, verum tamen Grammaticorum, qui ſuperſunt, fere antiquiſſimum, ſeculo poſt Natum Chriſtum primo, ſeu ſub initium ſecundi, maxime floruiſſe. Eam in rem bina tantummodo adferam argumenta. Primum peto a Grammaticorum agmine, quos in parvae molis libello ad partes vocat Noſter. Omnium aetas, ſi unum & alterum excipias, cognita eſt, & ab iis, qui huic eruditionis parti illuſtrandae incubuerunt, explorata. Ante Auguſtum, ſive ſub ejus imperio, diverſis in locis Grammaticae ſcientiae fama nobiles claruerunt, Zenodotus, Ariſtophanes, Neanthes Cyzicenus, Mnaſeas, Philemon Aexonenſis, Aſcepiades Myrleanus, Trypho, Didymus, Lucius Tarrhaeus, Lyſimachides, Ariſtocles Rhodius & Ariſtonicus. His paulo recentior memoratur Apollonides Nicenus, Ariſtocli forte & Ariſtonico coaevus, cujus aetatem G. J. Voſſio minus cognitam, in Tiberio Imperatore fixit Jonſius De Script. Hiſt. Philoſ. L. III. c. III. Heraclides autem Grammaticus, ab Ammonio ambiguo ἰατρῷ titulo ornatus, quem de induſtria in Grammaticorum catalogo praetermiſi, alterum, ut conji-

cio,

cio, pro Ammonii antiquitate nobis argumentum ſuppeditabit. Ex Heraclidis, quos Jonſius triginta cognomines recenſuit, quis Ammonianus ſit, in v. Στιφυλὴ citatus, fuit quaeſitum. Cl. Fabricius Biblioth. Graec. Vol. I. p. 335. & Vol. VII. p. 62. etſi iſtis in locis, quod in tanta rerum copia mirum non eſt, leviter labitur, Heracliden Auctorem Proſodiae, cujus frequens occurrit mentio, & Heracliden, quem Ammonius vocat ἡμίπορον, unum & eundem fuiſſe contendit. Recte! neque hac etiam de re ulla debet eſſe dubitatio. Hujus autem Heraclidae, qui ſcripſerit περὶ καθολικῆς προσῳδίας, aetatem penitus ſe ignorare profitetur Meurſius, in Chalcidii Timaeum p. 18. Ne nunc, quae ex Jonſio De S. H. P. L. II. c. XI. §. 4. peti poſſent, incertiora conſecter, conſtat, neque id ignoravit Meurſius, Heracliden ἐν τῷ περὶ καθολικῆς προσῳδίας citari ab Apollonio Alexandr. de Synt. IV. c. x. p. 326. adeoque Apollonio certe antiquiorem Heracliden ante ſeculum ſecundum floruiſſe. Quod ſi nunc monſtravero, hunc Heracliden Ammonii mei fuiſſe praeceptorem, quis tandem de ſumma hujus antiquitate dubitet? Nimirum in V. Στιφυλὴ ita loquitur Ammonius: Ἡρακλείδης ὁ ἡμίπορος φησίν. Triplex hujus denominationis reddita fuit ratio. Fabricius B. G. L. IV. c. 26. p. 177. ἡμίπορον interpretatur, *ex Ariſtarchi Schola Grammaticum*. Jonſius, II. c. XI. ita ab Ammonio dictum putat, *vel quod uterque Alexandrinus fuerit, vel quod hic eum magiſtrum habuerit*. Poſtremam rationem ſolam veram eſſe arbitror. Nam quod Ariſtarcheus fuerit Heraclides, & ejuſdem civitatis, habuit cum aliis, ab Ammonio laudatis, commune. Quaero enim, num non Didymus & Trypho Alexandrini fuerint, & Ariſtarchi ſectam publice profeſſi? neque eſt quod inſtes, atque urgeas, Ariſtarcheum ἡμίπορον dici, ut ab aliis Heraclidis ſecernatur, nam ſeptem Didymos dabit Suidas. Sola itaque obtinet, quam probavi, nominis ratio: pari modo Damaſcius Simplicii praeceptor ὁ ἡμίπορος Δαμάσκιος vocari ſolet a Simplicio, obſervante Fa-

 bricio,

bricio, B. G. L. V. c. xxix. §. 1. Vol. VIII. p. 620. & 626. Commemini, me aliquando a Summo Hemſterhuiſio accipere, Heracliden Euſtathio citatum Grammaticorum pene fuiſſe eruditiſſimum, ut adeo in Ammonii etiam praeſtantia Heraclidae diſcipulum non difficulter dignoſcas. Neque tamen non veriſſimum eſt, Ammonium ex iſta fuiſſe ſecta Grammaticum, cujus conditor cenſetur Ariſtarchus. Dum Homeri editionem Ariſtarcheam paſſim, & clariſſime ſequitur in v. Δαὶ, Zenodotum reprehendit, ſuae ſectae homines potiſſimum laudat. Non tamen ſectae, cui nomen dederat, adeo male fuit tenax, ut non multa ab Ariſtophane tradita probaverit, & in Lexicon ſuum receperit. Dixi de Auctore, nunc libelli argumentum, & ſi qua porro huc pertinere judicavero, proponam.

Index libelli noſtri hic eſt, etiam in ſcriptis Codd. περὶ ὁμοίων καὶ διαφόρων λέξεων. quem non uno modo reddiderunt Valentinus Curio, Stephanus, & Fabricius. Utrum eadem ſit in Anglicanis Codd. MSS. inſcriptio, addubito. In Catalogis reperire licet: *Ammonii Lexicon*, & *Ammonii liber de dictionibus.* περὶ λέξεων latius patet, quam ut huic opuſculo apte convenire poſſit. Credibile, Ammonium poſuiſſe περὶ διαφόρων λέξεων, *de vocum differentia*; atque ita paſſim citant Recentiores. Ὅμοια non extant in Ammonio, praeter paucula, veluti ſunt, Κωφὸς & Ἔννεος, Πεπαίχαι & Ἐκπάξαι, Τύραννος & Βασιλεύς. quae vocabula recentiore aevo male diſparata apud antiquos ὅμοια fuiſſe, ſive promiſcue uſurpata, oſtendit Ammonius. Propter ea tamen poſtea, ut puto, libello noſtro titulum fecerunt: περὶ ὁμοίων καὶ διαφόρων λέξεων. Ea enim, quae dixi, ὅμοια fuiſſe vocata, ex Speuſippi opere, etſi generis nonnihil diverſi, conſtat; id enim, Ὅμοια inſcriptum, frequenter laudat Athenaeus; a quo etiam Jubae & Soſibii Ὁμοιότητες non raro ad partes vocantur. Ammonius id egit, ut vocabulorum adfinium, quae vulgo habebantur Ὅμοια, differentiam declararet. Non diſſimilem ſibi materiam ſumſerat Seleucus Alexandrinus, quem περὶ

ἐν συνανύμοις ἀμφοῖν scripsisse, ex Suida fuit observatum.

Quamprimum in ornatam Linguae patriae culturam incubuerunt Graeci, probabile admodum, vetustissimo jam tempore in ea etiam re elaborasse, ut voces discernerent, quae, solo saepe accentu diversae, facile a minus peritis permutari poterant. Quare primum ea cura ad Philosophos pertinuisse videtur. Omnes artes atque inprimis etiam Grammaticam Philosophiae suam debere originem, alicubi hoc argumento ostendit Ammonius Hermeae, quod Grammatica circa harmoniam versatur; hanc autem Musicae propriam, Musicam Philosophiae partem esse evincit. In Musicis multi erant, qui a Nobilissimo Pythagorae nomine dicebantur. Hos inter, qui Dissertationes Dorica Dialecto conscripsit, sive Myllias is sit Crotoniata, seu alius, Auctor certe vetustissimus, in Gal. Edit. p 725. vocabula enumerat, quae τὴν ἁρμονίαν ἀπαίξασθαι δύνειται. Hoc loco proponere libet, quod ab Ammonio alienum est. Auctorem opusculi, quod Nobilissimus Northius Mimanti tribuendum suspicatur, Mylliam dubitanter voco, lectione MS. adductus, in quo istic loci, ubi Μίμας vulgatur, extat Μῦμας. Quod in Catalogo Biblioth. Leidensis legitur p. 400. *ambigitur an sit Tzetzae*, oppido est ridiculum. Scilicet scripto libello haec nota praefigitur: Ζητεῖται δὲ εἰ καὶ τὸ παρὸν σύγγραμμα Σεξτίου ἐστι.

E Philosophis verborum proprietatis inprimis studiosos fuisse Stoicos, quis ignorat? Itaque etiam adfinium vocabulorum discrimina monstravit Chrysippus. Vide, si placet, Stobaeum Tit. XXVIII. p. 196. 197. Athenaeum VI. p. 267. B. & Schol. Theocriti ad Idyll. V. v. 5. Aristippum autem, Socratica pietate excultum, his in rebus tempus voluisse conterere, mihi quidem non placet. Quid si in Schol. ad Apollon. Rhod. II. v. 77. cujus fide id a Cl. Jacobo Gronovio, quem Fabricius citavit, fuit creditum, pro Ἀρίστιππος reponeremus Χρύσιππος;

Praecipua tamen istius rei cura ad Grammaticos spectavit. Quando enim se ad Poëtarum tractationem converterunt,

terunt, fieri non poterat, quin in propria vocabulorum vi cernenda, & adfinium differentiis indicandis elaborarent. Multa producit Ammonius, cum ex aliorum operibus, tum ex laborioſis Didymi in Homerum, Pindarum, & Bacchylidem commentariis; ne nunc dicam, in iis, quae nos uſurpamus, Veterum ſcholiorum male conſarcinatis reliquiis hoc in genere non pauca ſupereſſe. Quamcunque ſibi materiam quis tractandam ſumeret, vocabula eo ſpectantia curate diſcrevit. Quantum ad hunc locum pertinere quiſque judicaverit, Auctorum index, quem Vulcanium ſequutus ad Amm. contexui, abunde ſubminiſtrabit.

Qui data opera in eam partem incubuerit, ut ante Ammonii aetatem unum in libellum verborum differentias cogeret, neminem novi. Verum quidem eſt, antiquorum hominum, Ptolemaei Aſcalonitae, Herennii Philonis, quin Ariſtophanis etiam Grammatici hoc in genere labores vulgo jactari: ſed, ut inde incipiam, Ariſtophanis tractatus περὶ λέξεων διαφορᾶς, memoratur, quod ego cognoverim, nuſpiam, praeterquam a Salmaſio in Obſervat. ad Jus Att. & Rom. c. XXVI. p. 609. Ne cui tamen videar ſuſpicioſior, quid hac de re ſentiam, premere decrevi. Rerum quas legerat, theſaurum ſolam memoriam habuiſſe Salmaſium accepimus. Fallaci cuſtodi nimium ſaepe confidebat Vir Maximus. Suidae ſine ulla formidine me objicio, qui Ptolemaeum Aſcalonitam ſcripſiſſe tradidit περὶ διαφορᾶς λέξεων, recentioris Magiſtri fraude deceptus. Quae ſub Ptolemaei Aſcalonitae nomine vulgavit Fabricius B. G. L. IV. c. 33. §. 5. certiſſima praeferunt recentioris aevi veſtigia. Ammonius, adcuratae diligentiae ſtudioſus, nuſpiam non ſolum iſtius Ptolemaei libri meminit, ſed & differentias, quae iſtic leguntur, ex Ptolemaei Proſodia Homerica enotavit. Quare de iſta opella, & de Herennii ſive Eranii, quas vulgamus, ſchedis idem cenſeo. Uterque Ammonium, vulgo forſan minus cognitum, in uſum puerorum deſcripſit, & Veterum Grammaticorum nominibus ſuas quiſque mer-

merces commendare voluit. Redeo ad Ammonium.

